



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Enchiridion Theologiæ Pastoralis Et Doctrinæ Necessariæ Sacerdotibvs Cvram Animarum administrantibus

Binsfeld, Peter

Avgvstæ Trevirorum, 1609

Secvnda Pars Tractat de peccatis in genere, Capitalibus, & eorum filiabus,
12. capita complectitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40721



SECUNDA

PARS DE PECCATIS IN GENERE, CAPIT

LIBVS ET EORVM FI-
LIABVS.

CAPVT I.

DE NECESSARIIS PRO
telligentia definitionis peccati.



QUOMODUM omnis pastoralis
verfetur circa actus hu-
nos, ne ex ignotis, de-
damus in cognitione
ignotorum, à definitione
& cognitione actus
mani incipiendum de-
mus.

Quid est actus humanus, siue moralis?

EST actus voluntarius, vel omiffio
Quæ definitio colligitur ex S. Thom.
q. 6. art. 1. 2. & 3.

Dicitur in definitione (voluntarius)
excludendum actus hominis violentos,
inferuntur ab extrinfeco, nullam confere

vim passo, exempli gratia, Si Perrus ab hoste vi trahatur ad idolum, Petro non est actio voluntaria, nisi cooperetur.

Voluntarium enim est, quod procedit à *Quid sit,* principio intrinseco, cum cognitione finis. *voluntarium.* Qua ex parte, actus puerorum, amentium & rium, aliorum, qui sine deliberatione agunt, perfectè non sunt voluntarij, quia non sunt cum cognitione finis, (vel omissio eius) quia voluntarium potest esse in omissione, sine actu *Quæ requiruntur* ut sanctus Thom. in dicto art. 3. tradit. Ut *ad omissionem* omissio autè sit voluntaria, & ad culpam imputetur, tres conditiones requiruntur, nempe ut possit quis facere, & teneatur, & non agat, siue omittat. *ne voluntariam*

Quoniam ad actum humanum requiritur voluntarium, & quantum actus talis habet de voluntario, tantum participat bonitatis, vel malitiae, quæ augent, vel diminuunt voluntarium.

VIOLENTIA, quæ ad actus imperatos siue exteriores, si voluntati inferatur, omninò tollit voluntarium, & peccatum. Vnde optimè Beata Lucia Tyranno dixit. Si me inuitam violari feceris, mihi castitas duplicabitur ad coronam. Ad violentiam proximè accedit metus, qui quoniam sæpius in actibus hominum locum sibi vendicat, videndum, quomodo se habeat in ordine *Quomodo metus se habeat in ordine ad voluntarium.*

ordine ad voluntarium. Aduertendum autem in primis, magnam esse differētiā inter metum, & violentiam, violentum enim dicitur quod fit ab extrinseco nullam conferente in passio, neque etiam eo cooperante: vt si vir ligata manibus & pedibus, propria renite voluntate violetur. Ex metu autem fit, qui habet quidem impulsione ab extrinseco, tamen cui metus infertur cooperatur, exempli gratia. Si Tyrannus minetur mortem gini, nisi se patiatur corrumpi, si se offerat corruptionem, ad euitandum mortem: ex

Quid violentum dicitur.

Quid ex metu fiat.

Metus duplex, cadens in constantem virum & non cadens.

tu, & non violentia corrumpitur. Metus uidetur in cadentem in constantem virum, in inconstantem. Metus cadens in constantem virum, quo perturbari potest homo, & non cadens in inconstantem, quod concutitur homo meticulosus & inconstantem.

Quæ ex metu fiunt, mixta sunt ex voluntario & inuoluntario, & simpliciter sunt voluntaria, & secundum quid inuoluntaria, & sic totaliter tollunt rationem peccati, sed diminuunt, exempli gratia, vt clarius fiat. Si quis fidem negat, serio à Tyranno interrogatus minis mortis, negatio fidei est voluntaria, simpliciter vult negare, est inuoluntaria secundum quid, quia non negaret, si metus mortis abesset, & sic non tam graue est peccatum, quam liberè sine vlllo metu negaret. Quid autem homo ex metu sine peccato facere possit, & quomodo

non, tribus regulis breuiter explicari potest, quarum.

Prima sit. Ea quæ sunt intrinsecè mala: vt Idololatria, fornicatio, ebrietas, & similia, quocunq; metu fiant, sunt peccata, quia sunt simpliciter voluntaria.

Quid ex metu fieri possit, aut non.

Secunda. Ea quæ fiunt ex metu cadente in constantem virum contra legem diuinam positiuam, non imputantur ad culpam, licet voluntaria sint, exempli gratia. Est præceptum diuinum positiuum, vt in Dominica nullum fiat opus seruile, pauper qui fame premitur, potest laborare, vt vitam conseruet. Sic 1. Machab. cap. 2. Matathias pugnavit festo Sabbathorū extrema necessitate compulsus.

Tertia Regula. Ea quæ prohibentur iure positiuo humanæ legis, non obligant cum periculo vitæ, exēpli gratia; si quis periculo mortis percussus, comedat feria sexta carnes, quia leges humanæ non obligant, cum tanto periculo. De his vide latius Bartholomæū à Medina in 1.2. S. Thom. quæst. 6. artic. 6.

Concupiscentia etiam qua voluntas impellitur ad volendum, auget voluntarium: Quia ea impellente, voluntas promptius fertur in obiectum. Ignorantia verò actum antecedens, efficit eum inuoluntarium tribus concurrentibus conditionibus. 1. Vt non sit illius rei, quam quis scire tenetur. 2. Vt non sit affectata vel procurata. 3. Vt sine ea non fieret

ret

retactus: Si autem vna harum conditionum de sit, ignorantia non tollit voluntarium.

Quot, & qui sunt actus precipui concurrentes ad actus humanos perfectos?

HI; quibus præponitur cognitio finis. Voluntas, quia volumus finem. Intentio, quæ est per media in finem. Electio, quæ est actus voluntatis circa ea, quæ sunt conuenientia ad finem. Consilium, quod est intentio rationis resolutoria, inquirentis modum eligibilia magna, & alicuius momenti, & necessaria. Consensus, quo se voluntas determinat, per complacentiam ad media. Electio, qui est applicatio mediolorum, & tandem intentio, qua quis fine adepto quiescit in illo.

Quotuplex actus, humanus siue moralis?

Actus humanus Bonus aut malus est.

De diuinis nominibus, cap. 4.

DVPLEX. Bonus, & malus. Bonus, qui nulla lege, neque in se, neque in suis circumstantiis prohibetur, vel ut claudicatur, est actus virtutis. Ad actionem moraliter bonam requiritur, vt sit bona ex intentione, fine, & circumstantiis, quia vt D. D. Nyfius ait. Bonum non fit nisi ex intentione causa. Ex quo fundamento eruitur, vt dari actum humanum in singulari & in vltimo indifferenter, id est, neque bonum neque malum: Quia omnis actus humanus

deliberatus, vel ordinatur in debitum finem, circa obiectum debitum, cum rectis circumstantijs, vel non. Si sic, ergo bonus, si non, ergo malus. Nec etiam fieri potest, vt idem actus in genere moris, sit bonus & malus.

De actionibus humanis bonis, id est, virtutibus, parū in hac introductione agemus, remittimus enim ad morales. Inter reliquos doctissimè tractant, S. Thom. 1. 2. & 2. secundæ, & eius commentatores. Guilhelmus Lugdunensis Episcopus in summa virtutum & vitiorum, parte prima, & Aristoteles in Ethicis. Nos Confessarios instruimus, quibus pœnitentes ratione peccatorum subiiciuntur.

Actus moralis malus, nil aliud est, quam peccatum, quod nunc definitione diligenter explicabitur.

Actus moralis malus quid sit.

Quid est peccatum?

EST dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Hæc definitio omissis multis alijs, S. Augustini, quam eligit Magister senten. lib. 2. d. 15. & explicat. S. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 6. vt definitio intelligatur. Notandum in primis, quod dictum, factum, vel concupitum, non accipiuntur pro rebus dictis, factis, vel concupitis, sed pro actibus ipsis dicendi, faciendi, vel concupiscendi, his particulis includuntur tria peccatorum genera: factorum, vt non fura-

Lib. 22. cõtra Faustum, c. 27.

furaberis, non mœchaberis, &c. dictorum Matth. 5. Qui dixerit fratri suo Racha, recurrat concilio, &c. & concupiscentiæ, ut est desiderium siue voluntas peccandi, quamuis non sequatur actus, ut Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est, &c. & concupiscentia etiam omnis, prebetur duobus vltimis præceptis:

Quomodo ommissio cõtineatur in definitione peccati. Non solum hic comprehenditur peccati commissionis, sed etiam ommissionis, ut dicitur in D. Thom. loco d. tradit, quia affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus: Nam ommissio non fit, dictum, vel factum, vel concupitum, est tamen, non dictum, quod debebat dici: aut non factum, quod debebat fieri: vel non concupitum, quod debebat concupisci: (contra legem Dei) completur contra legem Dei, non solum diuinam, positivam naturalem, sed etiam positivam humanam, quia qui operatur contra humanam, operatur etiam contra diuinam, præcipientem legem humanarum obseruantiam. Quia qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. *Veniale etiam comprehenditur in hac definitione.* man. 13. Sub illa particula, comprehenditur etiam veniale, quod aliquo modo est contra legem Dei, quia non accedit ad perfectionem legis, & hoc est, quod à quibusdam adiungitur, vel præter legem.

(o)

CAP

CAPVT II.

DE DIVISIONIBVS PECCATI
*actualis, ac modis distinguendi
mortale à veniali.*

IN primis diuiditur actuale, in mortale, & veniale. Mortale sic dictum, quia mortem infert peccanti. Anima enim, quæ peccauerit, ipsa morietur. Veniale, cui facile venia datur.

Ezech. 8.

Sap. 16.

Hier. 31.

Deinde in peccatum cogitationis, locutionis, & operis. Item, peccatorum aliud est ex infirmitate, quale Petrus commisit, quando ex timore saluatorem negauit, aliud ex ignorantia, quo peccabat Saulus, quando Ecclesiam Dei persequebatur. Misericordiam, inquit, Dei consecutus sum, quia ignorans feci. Aliud ex certa malitia, siue industria, quo genere Iudas peccauit, quando redemptorem vendidit. Potest etiam diuidi ex Ioanne, vel ex concupiscentia carnis: vel ex concupiscentia oculorum: vel ex superbia vitæ; vel aliud est peccatum omissionis, aliud operis; vel peccatum ex parte obiecti, committitur in Deum, proximum, & semetipsum.

1. ad Ti-

moth. 16.

Reliquis diuisionibus omissis, de mortali & veniali agendum.

N

Quis

Quis modus distinguendi mortale à veniali?

Lib. 21. de ciuit. c. 27. **S.** AVGVSTINVS fatetur difficillimum esse definire & inuenire, quæ ista peccata sint, quæ impediunt aditum ad regnum Dei & verissimum est eius iudicium, præsertim affectionum quantitate, diuitiarum appetu, aut honorum ambitione. Sed quia cognitio peccati mortalis, & venialis, maxime necessaria est Confessario & iudici conscientia vt possit discernere inter leptam, & non leptom aliquot regulas ex Doctoribus subiiciemus ex quibus iudicium sumendum de veniali mortali.

De hac materia legendi, Ioannes Genesius in tractatu, de distinctione peccati mortalis & venialis. Richardus de S. Victore de differentia venialis à mortali, & Andreas Vega alijs doctius & clarius hanc materiam tractat lib. 14. super Concil. Trident. de Iustificatione præsertim cap. 12. quæ sequitur Iosephus Angelus in Floribus part. 2. in 2. sent. d. 37. q. 3. art. 1.

Prima Regula. Quando sacrae literæ præscribunt, aliquod peccatum execrandum, detestandum, exosum, dignum morte spirituali, vel temporalis, pœna æterna, vel igne puniendum, excludere à regno Dei, vel comminantur, iudicandum est sine dubio peccatum mortale. De his qui voluerit exempla excerpere literis legat. Prouerb. 6. Ezech. 18.

ut. 24. Isaiæ 5. Rom. 1. ad Galath. 5. Matth. 5.
& alibi passim in sacris litteris. Hanc regulam
S. August. ponit in Enchiridio ad Laurétium,
cap. 78. & 79. & Vega loc. citat. illustrat.

Secunda Regula. Est traditio Ecclesiæ, &
Doctorum virorum auctoritas. Si Doctores
Ecclesiæ, & pij viri, vnanimi consensu docent
aliquid esse mortale, pro mortali habendum
est: Si veniale, pro veniali iudicandum: si ve-
rò dissentiant, & dubitant in aliquo, securior
pars in conscientia eligenda est, Securior au-
tem pars est, agnoscere culpam vbi non est.

Tertia Regula. Est ratio naturalis. Quæ enim
directè & grauitè charitati Dei & proximī
repugnant, mortalia censenda sunt: Quæ ve-
rò parum à ratione exorbitant, & leuiter cha-
ritatem Deo, & proximo debitam lædunt, ve-
nialia existimanda: Nam veniale est præter le-
gem: hac enim regula, recta ratio iudicat vnā
esse magnam ægritudinem, vel iniuriam, siue
offensam, aliam verò paruam. Ex hac regula,
communis doctrina originem sumit, quæ tra-
dit circa quæcunq; præcepta, dupliciter con-
tingere veniale, nempe ex surreptione, & par-
uitate materiæ. Quare optimè Richard. in
fine dicti tractatus, asserit mortale esse, quod
non potest à quoquam committi sine grandē
corruptione sui, aut contemptu Dei, aut
gravi læsione proximī, reliqua verò omnia
venialia.

*Hic dubium esse possit. An idem numero veniale,
etiam possit fieri mortale?*

RESPONDETUR quod non, quia cum veniale non auertat à Deo, mortale auertat, & impossibile sit idem à Deo auertere, & non auertere, haud fieri etiam poterit, idem numero veniale fiat mortale. Dispositum tamen non raro, vnum veniale ad mortale, quia qui spernit minima, paulatim decidit.

Eccles. 19.

Quot modis peccatum mortale ex genere, potest fieri ex accidenti veniale?

TRIBUS, Primo ex surreptione, propter defectum deliberationis. Sic ira, quæ ex genere est mortalis, fit venialis ex subito motu: & acedia, quæ hominem subito corripit, de similibus simile est iudicium.

Secundo, ob paruitatem rei siue materiae, quæ sunt contra præcepta, exempli gratia furari ex suo genere est mortale, quia contra præceptum. Non furaberis. furari autem tantum aut quatuor denarios veniale, quia res minima iudicatur.

Tertio, ex defectu iudicij sufficiens ad mortale, vt contingere possit in semidormientibus, pueris, & non abundè ratione vrentibus.

An etiam veniale ex genere, possit fieri mortale?

RESPONDETUR, etiam ex accidenti contingere.

l. Quæ

1. Quando constituitur in veniali vltimus finis.

2. Si quis veniale ordinaret ad mortale, exempli gratia, diceret verbum otiosum directum ad fornicandum.

3. Ex conscientia dictante esse mortale.

4. Ex contemptu.

5. Dispositiuè ratione periculi, quod qui amat peribit in illo.

Quoniam plurima sunt peccata venialia, quibus etiam iustorum vita conspergitur, & quidam crassa ignorantia laborantes, (vt experientia compertum habemus,) ne minimū quidem veniale in particulari, si interrogentur, dare possunt, gratia exēpli placuit ex DD. aliqua venialia subiungere, vt de similibus iudicium sumi possit.

In primis S. Augustin. de decem chordis cap. II. tradit, quod quotidiana, siue venialia peccata, per linguam facilè committuntur, vt est, inquit, verbum durum, aut cum labitur aliquis in risum immoderatum, aut in huiusmodi nugas quotidianas, &c. His adduntur ab eodem. Si vir cum propria vxore coeat voluptatis explendæ causa, & plus quàm necessitas procreandorum liberorum cogat. In ipsis etiam alimentis, quæ vtique concessa sunt, si fortè excedis modum, & amplius accipis, quàm necesse est, peccas. Quotidiana sunt ista,

N 3 quod ait,

ait, quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non leuia, quia plura.

Idem in sermone 4. de animabus fidelium defunctorum. Quæ autem, inquit, sunt minuta peccata, licet omnibus nota sint, tamen quia longum est, ut omnia replicentur opus est, ut ex eis aliqua nominemus. Quoties aliquis in cibo, aut in potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata non pertinere: quoties plus loquitur quam oportet, aut plus tacet, quam expedit. Quoties pauperem importunè petentem exasperat. Quoties cum corpore sit sanus, alijs inuidentibus prandere voluerit, aut somno deditus ad Ecclesiam tardius surgit: Quoties, incepto desiderio filiorum, uxorem suam cognouerit. Quoties in carcere clausos, & in vinculis positos tardius requisierit, infirmos tardius visitauerit; Si discordes ad concordiam reuocare neglexerit: Si plus, aut prolixius, aut uxorem, aut filium, aut seruum exacerbauerit, quam oportet. Si amplius fuerit blanditus, quam expedit: Si cuiunque maiori personæ, aut ex voluntate, aut necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit, aut nimium delictiosum aut sumptuosa sibi conuiuia præparauit. Si se in Ecclesia aut extra Ecclesiam fabulis delictiosis, de quibus in die iudicij ratio reddenda est, occupauerit. Si dum incautè iurauerit

& hoc

& hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utique periuramus. Et cum omni facilitate, vel temeritate, maledicimus, & cum aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerunque non ita, ut credimus probatur, sine vlla deliberatione delinquimus. Hæc, & similia his, ad minuta peccata pertinere, non dubium est, quæ sicut iam dixi, enumerari vix possunt, & à quibus non solum populus Christianus, sed etiam nullus sanctorum immunis esse potuit aliquando, aut poterit. Hæc Augustin, Circa quinque modos gulæ, quos enumerat S. Gregorius libr. 30. moralium capit. 27. etiam frequentissimè venialiter peccamus: continentur autem hi modi memoriæ gratia hoc versu.

Præproperè, lautè, nimis ardentè, studiosè.

HARVM specierum explicationem infra cap. 10. de Gula ex S. Thom. ponemus, & habetur etiam de his de consecrat. d. 5. cau. Quinque. vbi Cardinalis à Turrecremata latius hanc materiam persequitur. Contingunt etiam peccata venialia, circa singula peccata mortalia, & transgressiones præceptorum, ut ex dicendis, & dictis, constabit. Quandoque ratione materiæ, si levis sit, culpa venialis committitur, quandoque ob defectum iudicij, ut si ratio non plenè aduertat. Ex his radicibus, furta minimarum rerum sunt venialia, pri-

N 4 mi

mi motus, multæ mentis euagationes, terrenæ & immundæ cogitationes, leues suspiciones, motus acediæ parui circa diuina, vani & otiosi sermones, curiositates, & sic de similibus. Ex dictis quilibet, iudicium sumet de alijs infinitis venialibus,

An peccata venialia sint vitanda, & quibus remedijs remittantur, & expientur?

PECCATA venialia etsi minima hominibus videantur, tamen omni studio sunt vitanda omnibus qui curam salutis propriæ habent, aut ad perfectionis gradum tendere satagunt. Pro huius rei veritate faciunt egregia sanctorum patrum dicta. D. Hieronymus in epist. ad Thesiphont. & in Epitaphio Nepot. Vt, inquit, enim creatorem non in cælestium tantum miramur, & terra, sole, oceano, elephantis, equis, bobus, pardis, vrsis, leonibus, sed etiam in minutis quoq; animalibus, formica, calice, muscis, vermiculis, & istiusmodi genere, quorum magis scimus corpora quam nomina, eandemque in cunctis veneramus solertiam: Ita mens Christo dedita æquè & in maioribus, & in minoribus intenta est, scilicet etiam pro otioso verbo reddendam esse rationem. D. Augustin. tract. 12. in Ioannem. Quomodo minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ quæ flumina

implent, minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, & opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo mergit nauim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, vt non obruant peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo. Idem in epistola 108. ad Seleucianam: Illa dimitti volumus nobis peccata quæ humanæ fragilitati quamuis parua, tamē crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauant & oppriment sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam & per negligentiam derelicta atq; contempta impleat nauem atque submergat. Idem in libro de decem chordis. capit. 11. Noli peccata contemnere quia minora sunt, sed time quia plura sunt. Attendite fratres mei, minuta sunt, non sunt magna; non est bestia quasi leo, vt vno morsu guttur frangat, sed bestia plerumque minutæ multæ necant. Si proijciatur quisquam in locum pulicibus plenum, nunquid non moritur ibi? Non sunt quidem maiores, sed infirma est natura humana quæ etiam minutissimis bestiis interimi potest. Sic & modica peccata attendite, quia modica sunt, & caute, quia plura sunt. Quam

minutissima sunt grana arenæ, quæ si amplè
 in nauem mittantur, mergunt illam vt perca
 Quam minutæ sunt guttæ pluuiæ, non
 flumina implent & domos deiiciunt? Ergo
 ista nolite contemnere, & sermone 244
 tempore. Noli despiciere peccata tua, quæ
 parua sunt, nam & pluuiarum guttæ sunt,
 flumina implent & moles trahunt, & arbo
 res cum suis radicibus tollunt. Tu qui dicis
 quia paruum peccatum est, velim scire quomodo
 ties tale peccatum admittis, si tot parua
 plagas in corpore, & tot maculas aut scissu
 ras in vestibis tuis fieri velis? Cum ergo
 corpore plagas, nec in veste tua scissuras,
 maculas fieri acquiescis, qua conscientia hoc
 facere in anima tua non metuis? ac sic quæ
 eunque hoc fecerit plus amat vestem & car
 nem suam, quam animam: Cùm enim
 imaginem Dei facti simus, quoties aliquid
 turpe, aut loquimur, aut facimus, toties Dei
 imaginem sordidamus. Haud dissimilia habet
 conclus. 3. super Psalm. 118. & tractatus
 Epist. Ioannis, & lib. 21. de Ciuit. Dei, cap.
 27. Chrysoft. hom. 87. in Matth. D. Gregorius
 lib. 10. moral. cap. 14. allegans illud Ecclesiast.
 ci 19. Qui spernit modica, paulatim decidit
 & ita subiungit: Si curare parua negligimus,
 insensibiliter seducti audenter etiam maiora
 perpetramus. Et S. Thom. 1. 2. quæst. 88. art.
 3. docet quomodo peccata venialia disponantur

ad mortalia. Et ad propositum pulchra est illa Plutarchi similitudo: Ut qui desperat se fore diuitem, largius impendit, at qui iam spe vicinus est opulento, is nec pusillum contemnit lucellum, nec minimis parcat: ita qui confidit se fore bonum virum & minima vitia studet corrigere, & nihil negligit, quod aliquo modo conducat ad bonam mentem. Hæc & his similia ostendunt non esse negligenda peccata venialia, sed maximo studio cauenda. Nunc quoniam peccata venialia multa & quasi quotidiana sunt, videndum etiam quæ sint remedia, quibus curantur & remittuntur.

Primo, Omnia septem sacramenta Ecclesiæ valent ad remissionem venialium, modo recipiens sacramentum non habeat formalem, aut virtuale complacentiam in venialibus, S. Thom. in 3. part. q. 87. articulo 3. & commentatores ibidem. Nauarrus de pœnit. d. 3. capit. De quotidianis. & latè Henricus Henriquez lib. 4. moralium Theologiæ cap. 15. Turrecrem. in d. 25. cap. Nunc autem. num. 4. nec in hac re apud Catholicos est dubium.

Secundò, Per orationem Dominicam, quando dicimus: Dimitte nobis debita nostras: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, delentur. S. Augustin. in d. epist. 108. & in Enchirid. ad Laurent. cap. 71. Concil. Toletanum 4. can. 8. & de consc. d. 3. cap. De multis. S. Thom. loc. cit. & communiter DD. Ora-

tioni, pectoris humilem confessionem adimplere possumus. arg. illius publicani Luca 18. pectus percutiebat dicendo: Deus propitius esto mihi peccatori. S. Thom. vbi supra. Turrecrem. & alij. S. Augustin. in lib. de penitentia medicina.

Tertio. Aqua benedicta mundat etiam peccatis venialibus, de consecrat. d. 3. cap. quam sale, in quo loco Turrecrem. virtus aquæ benedictæ colligit, & communiter D. ita tradunt. Aquæ benedictæ annumerantur et alia sacramentalia. Benedictionem Præteriti. Confessionem generalem, unctiones sacrae & similia. De quibus Turrecrem. Nauarri. alij ad longum. Item oratio in Ecclesia consecrata facta. S. Thom. in 3. part. quæst. 83. art. ad 3. Sotus in 4. d. 13. quæst. 2. art. 3. & alij in missa.

Quarto. Eleemosyna & ieiunio etiam purgantur quotidiana peccata. D. Augustin. in epist. 108. & in d. cap. 11. de decem chordis adijcere licet alia misericordiae opera, humilitatis & mortificationis exercitia sponte suscepta, & in remissionem quotidianorum delictuum ordinata. Circa prædicta recolendum quod nec sacramentalia, nec actus orationis, Eleemosynæ, ieiunij, & similibus, remittunt venialia nisi homo sit in gratia, quamvis non requiratur noua gratiæ infusio ad eorum remissionem, prout tradunt S. Thom. in d. q. 83. art. 3.

art. 2. & 3. & eius commentatores Petrus à Soto de instit. sacerdotum. Nauarr. in d. cap. De quotidianis & alij alibi. Sed sufficiat aliquis actus ex gratia procedens, quo peccatum veniale explicitè, vel implicitè detestatur.

Postremò, venialia peccata tolluntur per feruentis charitatis actus, vt communiter Theologi sentiunt.

CAPVT III.

DE CAUSIS PECCATORVM interioribus, & circumstantijs.

TRES interiores præcipuæ à Doctoribus peccatorum assignantur causæ. In intellectu ignorantia, In appetitu sensitiuo infirmitas siue passio, & in voluntate malitia.

De ignorantia.

IGNORANTIA, quando tollit scientiam prohibentem actum peccati, causa est eiusdem, nam si scientia esset, peccatum nõ committeretur. Est autem triplex ignorantia. Inuincibilis siue iusta, quæ à Doctoribus canonum, dicitur probabilis. Affectata, & Crassa, siue supina.

Inuincibilis ignorantia est, quando quis ignorat, quod non potuit scire: vel si potuit, non

Quid ignorantia inuincibilis.

non tenetur scire, & talis non est peccatum
sed excusat à peccato.

*Quid affe-
ctata.*

Affectata est, quando quis ignorat ea, quæ
scire tenetur, ex electione, vt liberius peccet
vel vt habeat causam excusationis, de hac
Psalm. Noluit intelligere vt benè ageret. Hæc
ignorantia peccatum est, & auget rationem
peccati, propter maiorem voluntatis conatum.

*Quid crassa
siue supina.*

Crassa siue supina, quando quis ignorat
quod facili negotio sciri potest, & homines
plurimum sui ordinis sciunt.

1. Cor. 14.

Quando ignorantia vinci potest, & etiam
rum, quæ quis scire tenetur, est peccatum.
Scriptum est enim, Ignorans ignorabitur.
Dauid, ignorantias meas ne memineris Do-
mine. Quod si ignorantia non antecedit,
consequitur, peccatum non diminuit, neque
auget, sed impertinens est. Ignorantia autem
antecedens, nisi sit affectata, cæteris partibus
semper diminuit peccatum, vt patet ex Eu-
gelio. Seruus qui nescit voluntatem sui do-
mini, & facit digna plagis, vapulabit pauca.
Sciens autem & peccans, multis.

Luc. 12.

*Si quis roget. Quæ homo tenetur scire ad hoc
vt non peccet?*

RESPOND. secundum S. Thom. 1. 2. q. 7.
artic. 2. Omnes tenentur scire communi-
titer ea, quæ sunt fidei, & vniuersalia iuris pre-
cepta: Singuli autem ea, quæ ad eorum statum
& officium spectant.

De peccato ex Passione.

PECCATUM ex passione dicitur ex infirmitate, ad similitudinem infirmitatis corporis, quod infirmum est, quando ob inordinationem membrorum, in suis actibus impeditur, vel debilitatur. Sic anima infirma est, quando in operatione sua impeditur, utpote quia partes rationis ordini non subsunt.

Quando itaque appetitus concupiscibilis, aut irascibilis, extra ordinem rationis aliqua passione trahitur, peccatum ex infirmitate denominatur. Ad hanc causam reducitur amor sui ipsius. Omnes tandem passiones concupiscibilis, & irascibilis, referuntur tanquam in causas ad concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Passiones autem peccatum præcedunt, aut sequuntur.

Passiones præcedentes, quo sunt fortiores, eo magis malitiam diminuunt: Quia voluntarium, quod de ratione peccati est, extenuant.

Passiones sequentes, quo vehementiores sunt, eo magis aggrauant; quia sunt signa promptioris voluntatis. Si autem passiones tam vehementes sint, ut planè tollant voluntarium, totaliter excusant à peccato: alias à tanto, & non à toto: Quando autem quis sua culpa in passiones incidit, tunc culpæ causa examinanda est.

*De peccato ex malitia.**Quid sit peccare ex malitia.*

PEC CARE ex malitia nihil aliud est, quam peccare ex scientia, electione, industria, habitu. Hoc peccatum grauius est eo, quod passione proficiscitur, cum sit maxime voluntarium, diuturnius, & ex peiori dispositione.

De circumstantijs peccatorum.

CIRCUMSTANTIARVM cognitio, non necessaria est Theologo & confessoribus, bene S. Thom. tradit 1. 2. q. 7. art. 2. Idem patet ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. & cap. 6. Contra ret, de pœnit. d. 5. Latius ergo de circumstantijs hîc agendum.

*Quid est Circumstantia?**Quid circumstantia sit.*

EST accidens, vel conditio extra substantiam actus humani, ipsum tamen admodum attingens. Ea enim quæ rem circumstant, aliquo modo attingunt.

Quot sint circumstantia.

Septem sunt circumstantiæ positæ ab Aristotele 3. Ethic. cap. 1. quas ad propositum S. Thomæ adducit in 1. 2. quæst. 7. art. 2. & Theologia 4. d. 16.

Comprehenduntur breuiter, hoc versu.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quando.

Ad maiorem intelligentiam, Quando dicitur, Quis; non intelligitur agens principium, legi

le operationis, sed conditio, vel accidens operantis, e.g. quod Petrus peccans sit monachus, Sacerdos aut miles, &c. Quid; etiam non est obiectum principale, à quo actus sumit speciem, sed conditio extrinseca obiecto, vt furari alienum, alienum non est circumstantia, sed obiectum; Verum furari in Ecclesia alienum, locus est circumstantia; Vbi namque denotat circumstantiã loci: Quibus auxilijs: vt si quis superstitione, vel incantatione velit recuperare sanitatem, & maleficium soluere per ministerium malefici. Cur; est circumstantia finis, vt si quis eleemosynam det ad vanam gloriam. Quomodo: diligenter, vel negligenter, ex industria, vel ignorantia, &c. Quando: pertinet ad tempus actioni accommodatum.

Dices. Quare, Quoties, id est numerus, non refertur inter circumstantias?

QUIA numerus peccatorum non est circumstantia, sed additio peccati ad peccatum, circumstantia enim versatur circa eundem actum; at numerus diuersas facit operationes, & multiplicat: secundum enim furtum non est circumstantia primi, sed aliud diuersum peccatum eiusdem speciei.

Numerus non est circumstantia, sed additio peccati noui.

Circumstantiæ diuiduntur in primis in mutantes speciem, & non mutantes.

Speciem mutant, quæ ultra malitiam eiusdem operis, habent specialem repugnantiam

Circumstantia, aut cum

*mutant
speciem,
aut non.*

cum ratione: Vel diuersis specialibusque preceptis prohibentur, præter actum principalem exempli gratia, furari in loco sacro, furari prohibetur præcepto. Non furaberis, Circumstantia etiam loci sacri, alio præcepto prohibetur. Circumstantiæ mutant species, necessitate in confessione sunt aperiendæ: saluetur integritas, ex Concilio Tridentino. & communi Catholicorum consensu. Quædam non mutant speciem, sed peccatum eadem specie, vel augent, vel diminuunt, quis diues furetur nulla pressus necessitate iuuenis victus libidine admodum fornicetur mulieris, fornicetur. Aliæ adhuc sunt circumstantiæ, quæ neque augent, neque diminuunt, sed sunt impertinentes: vt si quis rapiat matrem dextra, vel sinistra: Percutiat clericum ante vel post meridiem, sic de similibus.

Nunc quædam sunt ponendæ Regule, quibus declarandum, quando circumstantiæ mutant speciem, ita vt de necessitate in confessione manifestandæ.

Prima. Quando obiectum est bonum in genere suo, & circumstantia finis mala, actus est in specie mali, & tunc si finis sit mortalis, actus erit mortalis: vt si quis det eleemosynam ad quærendum occasionem fornicandi. Si circumstantia finis, venialis, actus erit venialis, vt si quis det eleemosynam propter leuam vanam gloriam.

Secunda. Si obiectum sit malum, & finis bonus, vt si quis furetur, ad pauperibus subueniendum, actus est in specie mali, quia bonum constat ex integra causa; malum autem ex singularibus defectibus.

Tertia. Quando circumstantia dicit nouam deformitatem, comparata ad rectam rationem: vel diuersa lege prohibetur, Constituit nouam peccati speciem: Sic circumstantia loci sacri mutat speciem, quando est peccatum furti, vel fornicationis, vel violenta sanguinis humani effusio, quia peculiariter hæc in canonibus sunt prohibita: Sic etiam ferendum iudicium, si persona Deo consecrata fornicetur, vel occidat, &c.

Quarta Regula. Omnis circumstantia, quæ mutat actum de bono in malum, tribuit nouam speciem, iuxta doctrinam S. Thom. 1. 2. q. 18. art. 3. ad 4. Circumstantia enim non faceret actum de bono malum, nisi rectæ rationi repugnaret.

Dicit quispiam contra dicta in tertia regula, Quomodo non mutatur species, si quis in Ecclesia irascatur, vel mentiatur in perniciem alterius. Item si religiosus mentiatur aut irascatur, &c. Respondetur ex mente Caietan. 1. 2. quæst. 7. art. 1. & Nauarr. in cap. Consideret, de pœnitent. d. 5. quod circumstantia loci sacri, quamuis omnia peccata per accidens grauet, illa tamen sola in sacrilegium

*Quare circumstantia
Loci sacri,
in furto,
fornicatione,
&c. tra*

hic peccatum in aliam speciem, & non in ira, odio, mendacio, &c.

conuertit, quæ loci sanctitati directe opponuntur, aut his quæ annexa sunt immunitati. At huiusmodi non sunt ira, inuidia, mendacium, &c. in Ecclesia commissa, sed alia in terra regula enumerata. Sic etiam circumstantia personæ non transfert in aliam speciem, nisi peccatum voto, vel statui eius directe aduertitur, vt si religiosus fornicetur, committit sacrilegium, si autem irascatur, solius iræ reus est.

Dubium. Quid de circumstantia sacri temporis etiam mutet speciem? vt si quis fornicetur die Dominico.

Circumstantia sacri temporis, regulariter non mutat speciem peccati.

QVAMVIS viri in Theologia doctissimi teneant affirmantem partem, inclinam tamen in negantem, cum communiori sententia, quod licet circumstantia sacri temporis aggrauet in eadem specie, non tamen mutet in alienam differentem, nec etiam de necessitate est in confessione aperienda. Sic tenet Caietan. 1. 2. loc. cit. & 2. secundæ, quæst. 1. art. 4. Syluest. in verb. Circumstantia, & in verb. Dies Dominica. Dominicus à Soto lib. 1. de iustitia & iure. quæst. 4. art. 4. Nauarr. in manuali cap. 6. num. 10. & in d. cap. Confidenter latè à num. 21. Iosephus Angles in floribus Theolog. qq. in 1. part. in 4. sentent. in quæst. Confessione, difficultate 5. & alij alibi. Si quis tamen in die festo peccaret in contemptum temporis sacri, esset circumstantia aperienda.

Addo etiam cum Bartholomæo à Medina 1.2. q.8. artic. 3. Circumstantiam temporis adeò aliquando augere peccatum, vt necessariò sit in confessione explicanda, vt si quis in die parasceues grauissimè offendat, aut in die sacræ communionis adulteretur, quia huiusmodi circumstantia comparata ad rectam rationem, grauissimam haberet adiunctam deformitatem.

CAPVT IV.

DE COMPARATIONE PECCATORUM ad inuicem, & effectibus peccati.

CVM secundum fidem Catholicam contra Stoicorum, & Ciceronis doctrinam in paradoxis, & Iouiniani hæresin, peccata nō sint paria, sed alia alijs grauiora, videndum de grauitate peccatorum vnde sumenda sit.

In primis præsupponendum, mensuram perfectionis humanarum actionum esse lumen rationis, & sic quanto magis humana actio consentanea est rationi, tanto perfectior, & à contrario, quāto minus accedit ad rationem, tanto imperfectior & deterior, peccatum autem minus accedit ad lumen rationis, quando perfectiori fini repugnat, & in imperfectius

Que mensura sit humanarum actionum.

Gravitas peccati mutatur secundum varietatem obiectorum. obiectum fertur. Ex quo fundamento sequitur, gravitatem peccatorum mutari secundum varietatem obiectorum. Sic cæteris paribus, grauiora sunt peccata, quæ committuntur in Deum, vt infidelitas, blasphemia, odium Dei, hæresis, &c. eis quæ in creaturam perficiuntur. Peccatis in Deum immediatè commissis in gravitate succedunt, quæ sunt contra humanitatem Christi, vt indigna communio, &c.

Inter ea, quæ in proximum diriguntur, maiora sunt quæ animæ saluti aduersantur, eis quæ corpori inferuntur: quia anima corpore dignior: Sic cæteris paribus, grauiora sunt spiritualia carnalibus: quia illa in Deum, & proximum, hæc in proprium corpus, quod minus bonum est, exercentur. Ex eodem capite augetur peccatum, secundum dignitatè personæ, in quam peccatum committitur. Grauius enim est conuicium coniectum in Imperatorem, quam in militem. Hinc etiam deducitur grauius esse peccatum, quod excellentiori virtute directè opponitur, quia bonitas sumit etiam specificationem ab obiecto.

In peccatis, quæ in proximum committuntur maiora sunt, si cætera sint paria, quæ maius nocumentum inferunt, maximè si intentum & præuisum sit. Nocumentum autem tanto maius est, quanto maior bonum aufertur. Cum autem triplex sit bonum. Animæ, Corporis, & Exteriorum rerum, ex inæ-

quali-

qualitate horum bonorum, inæqualitas no-
 cumentem commensuranda est. Bonum animæ *Bonū tri-*
 non potest, nisi occasionaliter tolli per per- *plex, &*
 suasionem, quæ necessitatem non infert. Alia *quod præ-*
 bona, violentia possunt auferri. Præstant au- *stantius.*
 tem corporis bonæ exterioribus: Qua ratione,
 homicidium grauius furto, vel rapina, & inter
 res exteriores, melius nomen bonum, quàm
 diuitiæ multæ, quo pacto detractio grauior
 furto simplici.

Aggrauatur etiam peccatum ex causis: quæ
 vel iudiciū rationis, vel liberæ voluntatis mo-
 tum impediunt, diminuunt: quæ promouēt,
 aggrauant: Sic maius est peccatum ex malitia,
 quam ex passione, & peccatum ex passione
 maius eo, quod ex ignorantia, & peccatum ex
 consuetudine his omnibus grauius. De hac
 materia legendi S. Thom. 1.2. quæst. 73. & 2. 2.
 quæst. 73. art. 3. & in 3. part. quæst. 80. artic. 5.
 Caietan. in locis. S. Thom. & Bartholomæus.
 Medina ibidem in 1.2. & in 3. part.

De effectibus peccati.

LOQUIMUR de peccato mortali.

1. Tollit vitam animæ, scilicet gratiam,
 & infert mortem. Stipendium, ait Apostolus,
 peccati mors est.

2. Animam macula inficit, hinc in Psalm. *Macula*
 Beati immaculati in via, &c. & Beatus dicitur *peccati*
 vir, qui inuentus est sine macula; Hæc macula *quid sit.*

O 4 nihil

nihil aliud est, quàm priuatio nitōris, qui erat in anima ex lumine gratiæ, & virtutum ornamentis.

3. Bonum naturæ diminuit, id est, inclinationem & promptitudinem ad virtutes.

4. Excæcat intellectum, & vulnerat potentias alias hominis.

5. Nocet corpori, vnde Apostolus, I. Cor. II. de indignè communicantibus. Ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Christus in Euangelio, iam sanus factus es, noli amplius peccare, ne deterius quid contingat.

6. Reddit hominem Deo exosum. Altissimus odio habet peccatores.

7. Facit seruum Diaboli: A quo quis superatus est, eius & seruus est.

8. Efficit reum aternæ pœnæ. Præter hos sunt multi alij effectus, qui varijs methaphorīs, similitudinibus, ac sententijs in sacris literis de pinguntur. De effectibus peccatorum legendus S. Thom. I. 2. à. q. 85, &

Commentatores eius

ibidem.

CA.

CAPVT V.

DE GRADIBVS, QVIBVS AD
peccatum peruenitur, & de pec-
cato cogitationis.

TRES sunt huiusmodi gradus. Suggestio, Lib. I. de
Delectatio, & Consensus. Hi gradus du- *serm. Do-*
cuntur ex tentatione primorum parentum. *mini in*
Tria hæc, inquit Augustin. similia sunt illi rei *mōte, cap.*
gestæ, quæ in Genesi scripta est, vt quasi à ser- *23. & lib.*
pente fiat suggestio, & quædam suasio. In ap- *12. de Tri-*
petitu autem carnali tanquam in Eua delecta- *nit. cap. 12.*
tio: in ratione tanquam in viro consensio: De
his latius Magister lib. 2. sentent. d. 24. cum
Doctoribus.

Suggestio est, dum à mundo, carne, aut dia- *Quid sug-*
bolo cogitatio siue tentatio offertur, vel obij- *gestio, de-*
citur. Delectatio, quando placet & delectat *lectatio, &*
id, quod suggestum est: Quando enim sugge- *consensus.*
stio facta est, tunc sensualitas mouetur & inci-
pit delectari, præcipuè in carnalibus, quæ faci-
lius mouent hominem exteriorem. Consen-
sus autem est, quando voluntas delectatione
rei suggestæ inducta, & allecta, consentiendo
determinat faciendum, & tunc peccatum in-
mente perficitur, etiã si non procedat in opus.
Nunc breuiter de his gradibus agendum.

An omnis tentatio sit peccatum?

NON loquimur de tentatione actiua, que in suggerente est, nam hæc cum ad fallendum instituta sit, mala est, sed de passiva que recipitur à tentato.

Tentatio à Demone, vel mundo obiecta, nõ semper est peccatum. Si agamus de ea tentatione, quæ à Demone, ne, vel mundo obijcitur, non semper est peccatum, quia in tentationibus est locus victoriae, & meriti: Dum enim viriliter resistimus, coronamur. Quod si autem de tentatione carnis agamus, difficillimum est iudicare quando incipiat esse, vel sit peccatum veniale: Quia quidam existimant, vt vocant, motus primos esse veniales, Alij negant. Deinde ad omne peccatum etiam veniale, aliqua libertas requiritur: At quis in his motibus tam ocularis, qui perspicere possit, quando libertas sit sufficiens ad veniale, vel non? Quando autem motus carnis ex imaginatione, vel apprehensione sensus oriuntur, vt plurimum non transeunt, sine culpa veniali. Homo enim facillime ponit causam, vel non præcauet, quando potest: & minima libertas ad veniale etiam sufficiens est.

De cogitatione.

Homo in cogitatione quatuor se modis **Q**UATUOR modis homo se potest habere, quando mala cogitatio obijcitur. *Primo*, vt statim resistat cogitationi repellendo, & tunc culpa nõ est, sed meritum, *Secunda*

vt non statim resistat, sed paululum immore- *habere po-*
 tur sine plena deliberatione, & tunc est pecca- *rest.*
 tum veniale. *Tertio*, ita vt placeat cogitatio, &
 velit opere complere id, in quo delectatur,
 tunc si est peccatum mortale res, quam cogi-
 tatione voluit, cogitatio etiam est mortalis, &
 eiusdem speciei cum operatione, quia interior
 voluntas aliquid faciendi, & actus exterior
 ei respondens, sunt vnum peccatum iuxta S.
 Thom, 1. 2. quæst. 20. art. 4. *Quarto*, ita vt non
 velit opere perficere peccatum cogitatum, de-
 lectatur tamen in ipsa cogitatione aduerten-
 ter, & deliberatè, & tunc si res cogitata, in qua
 delectatur est mortalis, ipsa delectatio etiam
 erit mortalis: Si venialis, venialis etiam erit
 delectatio, & à Theologis dicitur delectatio
 morosa.

De delectatione morosa.

DELECTATIO morosa est, quando ho-
 mo voluntariè delectatur, in aliquo actu
 malo sine proposito, & voluntate eum perfici-
 endi. Dicitur morosa propter moram, quã
 facit ratio in ea expellèda, vel quia homo ani-
 maduertit se delectari, & adhuc moram trahit
 in delectatione.

Ad hoc vt talis delectatio mortalis sit, qua- *Quatuor*
 tuor requiruntur conditiones. *requiruntur*

Prima. Vt actus, de quo habetur delecta- *ad hoc, vt*
 tio sit mortalis, verbi gratia, de fornicationis *delectatio*
 aut

*morosa sit
mortalis.*

aut vindictæ actu, &c. *Secunda.* Ut cum deliberatione animaduertat, se delectari in huiusmodi cogitatione. *Tertia.* Ut non resistat repellendo, vel reprimendo. *Quarta.* Ut absque rationabili causa, omittat eam à se rejicere. De hac materia legendi S. Thom. 1.2. q. 47. art. 8. Caietan. in summa. verb. Delectatio morosa. Nauarr. in Manuali, cap. 11. num. 12. Sed notandum ex S. Thom.

Primo. Quod delectatio duobus modis potest esse, vel de cogitatione, vel de re cogitata, verb. gratia, de fornicatione. De cogitatione, quia anima naturaliter delectatur in inueniendo, & conferendo, quando noua occurrunt circa obiectum, & talis cogitatio potest esse venialis, quando est otiosa & inutilis: quandoque meritò coniuncta, quando quis cogitat ad docendum alios, vel ut melius intelligat ad rectius discernendum.

*A quibus
committatur peccatum morosa delectationis.*

Secundo, Peccatum morosæ delectationis non tantum solet comitti à benè dispositis, sed etiam ab eis, qui consuetudinem ducunt in peccatis, quique semper parati essent ad complendum peccatum in opere, nisi infamia, & humanus respectus prohiberent. Quilibet autem facilè peccat morosa delectatione in illa materia, in quam animus multum inclinatur: quia ut benè S. Thom. loc. cit. docet, quod aliquis consentiat in talem delectationem rei cogitatæ, hinc prouenit, quia nullus delectatur

delectatur nisi in re, quæ est conformis suo appetitui. Vnde homo carnalis facilè cadit in delectationem peccati carnis. Iracundus in materia iræ, vindictæ, percussionis, &c. Superbus circa ambitionem honoris, &c.

Dubium. *An sit peccatum morosæ delectationis, delectari in visione pulchræ mulieris?*

RESPONDETUR. Si delectatio est de opere bono, est bona: Si de malo, mala. Vnde visus pulchræ mulieris, si est coniunctus libidine ad concupiscendum, delectatio est mala iuxta doctrinam Christi: qui viderit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam *Matth. 5.* in corde suo: Si autem aspectus sit honestus, delectatio etiam de tali aspectu erit honesta, nisi accedat periculum libidinis. Quia delectatio trahit suam bonitatem, & malitiam, ab obiecto circa quod versatur. Idem iudicandum est de tactu. Hinc infero cum Nauarro in cap. Si cui, de pœnitent, d. 1. num II. non peccare mortaliter illum, qui tangit, nisi tactus fiat in secretioribus, aut videt pulchram mulierem causa vanitatis, leuitatis, aut curiositatis, &c. Si non dirigantur hæc ad libidinem carnalem, vel delectationem veneream; Si autem oscula, *Quando* tactus, visus, & similia ordinentur in turpem *oscula, te-* amorem, & libidinem, peccata sunt mortalia, *ctus, & vi-* nisi contingant inter coniuges cum debitis *sus, sint pec-* circumstantijs. Longiorem qui querit doctri- *cata mor-* nam *talia.*

nam, legat Summistas in verb. Cogitatio, & Delectatio morosa: Hæc pro introductione sufficiunt.

CAPVT VI.

DE DIVISIONE PECCATI IN septem capitalia, de superbia & eius filiabus.

SEPTEM sunt peccata quæ capitalia nominantur, & memoriæ causa continentur dictione, Saligia, & sunt hæc. Superbia, Auidia, Luxuria, Ira, Gula, Inuidia & Acedia. Capitalia nominantur, quia alia ex his oriuntur. Diuiduntur in Carnalia, & Spiritualia. Carnalia sunt, quæ perficiuntur in delectationibus carnis, vt luxuria & gula. Spiritualia, quæ continentur in apprehensione animæ, & delectationibus spiritualibus, vt sunt reliqua quinque.

Vnde peccata capitalia nominantur, & quomodo diuidantur.

De speciebus Superbia.

QUATVOR sunt species superbiæ ex S. Gregorio lib. 23. moral. cap. 7.

Prima. Cum bonum, quod arrogantes habent, à seipsis habere existimat.

Secunda. Quando sibi datum de super credunt, sed proprijs meritis accepisse putant.

T. 1.

Tertia. Cum iactant se habere, quod non habent.

Quarta. Cum despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere, quod habent. His quatuor superbiam speciebus, ut tradit Fulgentius, Diabolus velut quadrigis vehitur, & ad gehennam miserorum, quibus insidet, mortifero cursu raptatur.

Quot sunt filia superbia?

OCTO. Inanis gloria, Inobedientia, Iactantia, Hypocrisis, Contentio, Pertinacia, Discordia, & Nouitatum præsumptio.

De vana Gloria.

SI Vt superbia est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, ita vana gloria est inanis manifestatio talis excellentiæ apud homines. Vanæ gloriæ appetitus, est inordinatus, vel ex parte rei, cum quis quærit gloriam deo, quod non est, vel non est gloria dignum: vel ex parte eius, à quo quis gloriam quærit, scilicet hominis, cuius iudicium non est certum: vel quando quis gloriam appetit, & non refert in debitum finem, scilicet in honore Dei, & salutem proximi. Ex his capitibus mortaliter peccat, qui gloriatur in peccato, vel concionator, qui non vult dicere veritatem, quando tenetur, ne amittat gloriam hominum. In eodem gradu est iudex, qui ne

Quibus modis peccat vana gloria committitur.

perdat nomen suum apud magnates, iudicat contra iustitiam. Accedunt his, qui orationes dicunt, aut eleemosynas dant, principaliter ob vanam gloriam.

Quid ambitio sit.

Ad vanam gloriam referri possunt ambitio & præsumptio. Ambitio est appetitus inordinatus honoris, & est peccatum mortale, quando quis appetit honorem de excellentia, quæ non habet, vel de re, quæ est peccatum mortale, vel ponit in honore ultimū finem; sic peccant mortaliter, qui Ecclesiasticas ambiunt dignitates, vel beneficia curata, quibus sunt indigni ratione scientiæ, aut alterius defectus. Hic enim notandum Aristotelis documentū approbatum à S. Thom. 2. 2. quæst. 132. art. 1. ad 3. Illi qui solum propter honorem, vel bona faciunt, vel mala vitant, non sunt virtuosī.

3. Ethic. cap. 8.

Præsumptio quid.

Præsumptio, ut hoc loco de ea agimus, est appetitus inordinatus eorum, quæ vires nostras; vel merita excedunt, & est peccatum mortale, si ex ea sequatur aliquid, in notabilem irreuerentiam Dei, aut damnum proximi spirituale, vel corporale: Sic peccant qui præsumunt exercere aliquod officium, quod neciunt, ut cum quis vult audire confessiones sine sufficienti scientiâ, agere medicum sine arte, causis patrocinari absque iuris scientiâ. Eodem peccato peccant, qui usurpant iurisdictionem, quam non habent in absoluendo, vel dispensando: Inobediencia, est, quando homo

Quomodo præsumptione peccatū committatur.

non vult exequi superioris præscriptum in eo, in quo est superior. Inobedientia peccat aliquis mortaliter, quando deliberato animo, præcepto superioris iusta, & recta præcipientis, non vult subdi, cum superior intendit obligare ad mortale. Qui enim potestati resistit, *Rom. 13.* diuinæ ordinationi resistit: Si autem superior aliquid præciperet contra præceptum Dei, Ecclesiæ, aut superioris in altiori ordine constituti, non esset obediendum, quia in his casibus non est superior. De hac re legendus S. Bernardus in tractatu de præcepto & dispensatione cap. 12.

Iactantia, est manifestatio propriæ excellentiæ per verba, quando quis se extollit supra id quod est, vel supra id quod alij de eo opinantur: quo ad actum exteriorem est species mendacij, & sic iudicium ferendum secundum naturam mendacij, quod perniciosum, iocosum, & inofficiosum esse potest: Quantum autem ad actum interiorem, est filia superbiæ. Si iactantia sit contra gloriam, aut reuerentiam Dei, aut charitatem proximi, est mortalis, alias solum venialis.

Præsumptio, siue inuentio nouitatum, est directa manifestatio propriæ excellentiæ per verba, vel res habentes aliquam admirationem: homines enim admirantur noua, & insolita: Est mortalis, quando est in contemptum diuini cultus; aut damnum notabile

P
proxi-

*Quando
iactantia
mortalis,
vel venialis.*

proximi. Sic peccant, qui nouas & insolitas procurant vestes, quibus alios ad libidinem prouocant, vel quibus vtantur in contemptu religionis. Item qui magnificas supra suum statum procurant vestes, vel epulas, non soluendo debita, ad quæ tenentur.

*Curiositas
quid.*

Ad præsumptionem proximè accedit curiositas, quæ est appetitus inordinatus sciendi, siue per intellectum, siue per sensum, & communiter est venialis, ex adiunctione tamen circumstantiarum potest fieri mortalis, vt si quis velit scire ad finem mortalem, aut per media mala: vt artes magicas, aut à quibus non licet, vt à Dæmonibus, aut appetat scire periculosa, vt legere libros hæreticos: aut si curiositate adductus negligat ea, quæ tenentur ratione officij, aut status scire, & sic de similibus.

*Hypocrisis
quædo mor-
talis sit.*

Hypocrisis est, quando quis per falsa facta, vel signa exteriora, simulat se habere, quod non habet: aut aliquid quod habet, significat se excellentius habere, quam habet. Est mortalis, quando quis vult videri sanctus, & non curat habere sanctitatem, & si in sanctis literis, vt plurimum sumitur, quando dicitur, vae vobis hypocritæ: Si autem hypocrisis, sit solum simulatio sanctitatis, tunc eius malitia attendenda est ex fine: Si finis repugnet charitati Dei, vel proximi, erit mortalis, vt si quis simulet sanctitatem, vt falsam doctrinam seminet: vel vt adipiscatur Ecclesiasticam

fficam dignitatem, qua indignus est : Alias est venialis.

Pertinacia est, quando homo ad ostentandum suum iudiciū, in propria perseuerat sententia, nolens credere meliori. Est mortalis, quando in rebus fidei, vel spectantibus ad bonos mores, aliquis pertinax est contra communem Doctorum sententiam, vel Ecclesiæ auctoritatem : aut est in notabile damnū proximi: alias in rebus leuibus est venialis.

Discordia est, quando quis non vult à propria voluntate discedere, vt alijs concordet: Est enim signum superbiæ, quando quis vult sua alijs præferre. Est mortale peccatum discordia, si quis scienter, & ex intētionē discor- det à proximo, circa doctrinam pertinentem ad charitatem Dei, vel salutem propriam, aut alienam.

Contentio, est inordinata contrarietas in locutione, quando contententes aliqui ex hoc, quod vnusquisque verbo, id quod sibi videtur, defendit. Est mortalis, si quis impugnet scienter veritatem, quia est mendacium perniciosum contra honorem Dei, & salutem proximi: vel si fiat ita inordinatè vt proximus scandalizetur. Vnde Apostolus. *2. ad Tim. 2. ad Tim. 14*
 Nonli contendere verbis, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium: Si quis autem honestæ, & vtilis exercitationis gratia contendat, vt fit in scholis, nullum est peccatum,

tum, nisi fiat excessus in modo, ad scandalum tendens.

Quoniam confessarius cognitionem etiam habere debet remediorum contra peccata, ut remedia contra Capitalia peccata in promptu habeat, peccatis ea subijciemus.

Remedia contra superbiam & eius exercitium.

Quinq; remedia ex S. Bernardo contra superbiam. **D** BERNARDVS in sermonibus parvis serm. 3. Sunt quinq; ait, quæ ad remedium tam mortiferæ pestis à Domino rationali animæ sunt posita. Locus, corpus, tentatio Diaboli, prædicatio Christi, & eius conuersatio. Locus, quia exilium: Corpus, quia onerosum: Tentatio, quia inquietat, Christi prædicatio, quia ædificat, & eius conuersatio, quia informat. Ad reprimendum superbiam plurimum faciunt, quæ hominem propriæ infirmitatis admonent. In sacris literis vocamur terra, caro, fœnum, cinis, sanguis, flos, umbra, fumus, &c. quæ imbecillitatem & miseriam humanam exprimunt. Vide S. Thomam 2.2. quæst. 162. artic. 6. ad primum.

CAPVT VII.

DE AVARITIA.

Vide S. Thom. 2. 2. **A**VARITIA est appetitus inordinatus diuitiarum; Dupliciter auaritia accipitur. Vno

Vno modo, vt significat inordinatum appetitum diuitiarum, quo aliquis acquirit pecunias, vltra debitum aliena retinendo, vel rapiendo, & sic est contra iustitiam, & ad hoc auaritiæ genus spectant rapina, fraus in emptione & venditione, furtum, &c. Alio modo, significat immoderatum appetitum circa interiores affectiones diuitiarum, vt quis nimis amat, aut desiderat diuitias, aut eis delectatur, & sic opponitur liberalitati, & quando hic amor in tantum crescit, vt ex amore diuitiarum non vereatur contra amorem Dei vel proximi facere, est peccatum mortale.

*qua. 118.
art. 2.
Auaritia
dupliciter
accipitur.*

Ex auaritia vitio capitali hæ generantur filia. Proditio, Fraus, Fallacia, Periurium, Inquietudo, Violentia, & contra misericordiam obduratio. *Gregor. 3.
moral. ca.
pit. 37.*

Proditio, est dolus, qui committitur in opere, quo ad personas, vt patet de Iuda, qui ex auaritia prodidit Christum.

Fraus est, quando deceptio committitur facto quo ad res.

Fallacia est, quando quis dolosis verbis decipit proximum, vel retinendo, vel acquirendo aliena.

Periurium, quando auarus addit confirmationem iuramenti, vt dolo aliena acquirat, vel retineat, hoc mercatoribus familiare est. Violentia, qua aliena vt acquiruntur: Hæ auaritiæ filia, quando notabiliter tendunt in

damnum proximi, sunt peccata mortalia, & quia læditur iustitia, nascitur obligatio restitutionis pro quantitate damni illati.

Inquietudo mentis, oritur ex avaritia, & est inordinata sollicitudo, qua homo torquetur, vel in acquirendo, aut conseruando diuitias. Quare in Euangelio, diuitiæ spinæ nominantur, quia curis pungunt mentem possidentis. Est communiter peccatū veniale, nisi quis ratione talis inquietudinis omittat aliquid, ad quod obligatur sub peccato mortali.

Obduratio cordis, est contra misericordiam, quando cor auari non emollitur, vt diuitijs, pauperum necessitati subueniat, & est peccatū mortale, quando quis de præcepto tenetur subuenire, & non facit, de quo dicitur infra de elemosyna.

Remedia contra avaritiam.

PRIMUM, Comminatio scripturæ, quæ toties vñ minatur diuitibus, & avaris, Esaiæ 5. Abac. 2. Amos 6. Lucæ 6. Iudæ 2. &c.

1. ad Timoth. 6.

Secundum, Consideratio periculi. Qui volunt diuites fieri incidunt in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, &c. Radix omnium malorum est cupiditas. Ad idem refertur potest difficultas salutis. Facilius est Camelum pertransire foramen acis, quàm diuitem intrare regnum cœlorum.

Tertium, Memoria paupertatis Christi, unde D. Bernard. Magna abusus, & nimis magna, quod diues velit fieri vermiculus, pro quo Deus Maieftatis pauper fieri voluit.

Quartum, Mortis meditatio. Facile ait, Hieron. contemnit omnia, qui se semper cogitat moriturum.

Quintum, Consideratio æternarum diuitiarum. Gregor. Vilefcunt temporalia, cum considerantur æterna. Alia passim habentur apud Doctores.

CAPVT VIII.

DE LVXVRIA.

LVXVRIA, est appetitus inordinatus libidinosæ, & carnalis voluptatis; dicitur inordinatus, quia potest inter coniuges esse ordinatus. Luxuria ex suo genere est peccatum mortale. Ad Galath. 5. numeratur inter opera carnis, de quibus dicitur, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Quot sunt species luxuria?

Sex: Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, & vitium contra naturam.

P 4 De

De simplici fornicatione.

FORNICATIO, est inordinatus vsus venereorum soluti cum soluta. Aduertendū non solum debent esse soluti à Matrimonio, sed etiam à cognatione, affinitate, ordine sacro, religione, & voto, si alter eorum aliquo horum sit ligatus, alia grauior species confurgit. Fornicatio est peccatum mortale, 1. Corinth. 6. Ephes. 5. & ad Galat. 5. excludit è regno cœlorum.

De Stupro.

STUPRUM est, quando virgo defloratur, & virginalis integritas corrumpitur. Hoc peccatum grauius est simplici fornicatione: tum quia puella impeditur à legitimo Matrimonio consequendo: tum quia ponitur in via meretricandi, propter amissum virginitatis signaculum: his accedit, quia etiam parentibus virginis irrogatur iniuria, qui eius sollicitudinem gerunt. Notandum hic ex Caietan. 2. 2. quæst. 154. artic. 6. Si masculus confiteatur de luxuriæ peccato, non est opus querere, si erat virgo, quia vt stuprum committatur, exigitur, vt mulier sit virgo.

An qui virginem stupro affecit, teneatur ad aliquam restitutionem, & ad quid?

IN primis certum est, quod qui dolo, fallacia,

cia, vel deceptione virginem corrumpit, teneatur ad restitutionē, vt patet Exodi 22. & Deuteronom. 22. & habetur cap. 1. & 2. de adulter. & supro. Si autem virgo sponte se obtulit, aut leuiter rogata consensum præbuit, in foro conscientiae non tenetur ad aliquam restitutionē, quia scienti & consentienti non fit iniuria, c. Scienti. de regulis iuris lib. 6. In foro tamen exteriori decepta præsumitur, & sic eam tenetur dotare, & in vxorem ducere. ex d. c. 1. & 2. & DD. ibidem. Qui autem importunis precibus, aut falsis promissionibus decepit virginem, in foro conscientiae, aut tenetur in vxorem ducere, aut ita componere cum ea, vt contenta maneat: Si quis autem ad decipiendum promittat virgini, quod eam in vxorem ducet, tenetur ad explenda promissa, tam in foro interiori, quam exteriori, nisi inter eos sit notabilis inæqualitas: vt si vir potens aut diues, virgo autem infimæ sortis: in tali enim casu præsumptio esset, quod virgo fingeret se deceptam. De hac materia legendi, Canonistæ loc. citat. S. Thom. 2. 2. quæst. 154. artic. 6. ad vltimum. S. Antonin. 2. part. tit. 5. cap. 6. Nauarr. in Manuali capit. 16. à num. 16. Angelus, Syluester & alij in verb. Stuprum. Præter hæc iustum, & æquum est, vt pro iniuria illata satisfiat etiam parentibus virginis, vt docent S. Thom. loc. cit. Caietan. ibidem, & Nauarr. In foro autem exteriori qui virginem seduxit &

*Ad quid
teneatur,
qui virgi-
nem stupro
affecit.*

deflorauit, tenetur eam dotare, aut in vxorem ducere, alternatiuè pro sua optione, vt satis deducimus & probamus in cap. i. de iniurijs, q. 8. conclus. quinta. Quod si autem clericus in maioribus virginem decepit, iuxta Panormitan. in cap. de adult. & alios alibi, cum eam non possit in vxorem ducere, tenetur dotare, & satisfacere pro verecundia & iniuria illata.

De Raptu.

RAPTUS est, si quis violenter aliquam virginem contra voluntatem eius opprimat, & patre virginis inuito è domo extrahat, etiam post habitam copulam animo ducendi eam in vxorem. Quomodo non possit esse matrimonium inter raptorem & raptam, vide

36. q. 2. c.
Raptores.

Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de reformatione Matrimonij.

De Adulterio.

In adulterio etiã iustitia læditur.

ADULTERIVM, est illicitus concubitus quo coniugalis thorus violatur: & committitur adulterium siue vna persona, siue vtraque sit iuncta matrimonio. In hoc peccato læditur etiã iustitia: quoniam aliquis accedit ad non suam, quare etiã fornicatione grauius est.

De Incestu.

INCESTVS, est consanguineorum, vel affinium abusus: & eo grauius hoc peccatum

tum est, quo gradus consanguinitatis, vel affinitatis pro p̄nquior, & terminatur inclusiuè in quarto gradu, quia quartus gradus tantum, Matrimonium inclusiuè impedit.

De vitio contra naturam.

VITIVM contra naturam, est omnis inordinata voluntaria effusio seminis extra vas debitum, in ordine ad generationem.

Aduertendum quod propter maximam turpitudinem non conuenit in particulari loqui in vulgo, ne ignorantes doceantur, & multi deducantur in tentationem: sed in foro conscientia, Confessarius cognoscere debet veritatem: Nam huiusmodi species in confessione aperiendæ sunt: & quando occasio se offert ad interrogandum, non debet descendere ad actus, & modos singulares, sed quiescere in speciebus propter periculum. Neque etiam hic satis est confitenti dicere, peccaui peccato luxuria, sed oportet ad speciem descendere, quia vna species grauior est alia, & in peccato contra naturam sunt gradus. Contingit his modis peccatum contra naturam. *Primo*, Si absque omni concubitu, *Quibus modis peccatū* causa delectationis libidinosa, pollutio pro- *contra na-* curetur, & vocatur immunditia, siue molli- *turā con-* ties. *Secundo*, quando non seruatur natura- *ringat.* lis concumbendi modus. *Tertio*, per concubitus ad non debitum sexum: & hoc dicitur

pro-

proprie peccatum sodomiticum in sacris literis. Ezech. 16. Genes. 13. Leuit. 18. Roman. 1. 2. Petr. 2. *Quarto*, committitur hoc peccatum ad rem non eiusdem speciei : & hic gradus grauissimus omnium, & vocatur Bestialitas. Cum incubo, aut succubo rem habere, omnes excedit limites. Ad luxurie species refertur etiam Sacrilegium, quo diuino cultui deputata violatur, secundum sanctum Thomam 2. 2. quæst. 154. artic. 10. Sic peccatur, quando persona Deo consecrata singulari ratione violatur: nec refert an peccans sit religiosus, vel religiosa: quia Deus ita est sponsus animarum virorum qui suam castitatem obtulerunt, quam fœminarum, quæ idem fecerunt. Ad idem peccati genus spectat, quando in loco sacro, vt in Ecclesia, vel cæmeterio aliquod luxurie peccatum committitur. Monasterium tamen, & dormitorium, non sunt loca sacra, quæ peccatum carnis ibi commissum sacrilegium efficiant, vt Nauarr, docet in Manuali capit. 16. num. 3.

De tactibus, osculis, amplexibus, visu, chorea, similibus.

Dico primo, oscula, tactus, amplexus, & similes actus imperfecti secundum se, non sunt peccata; quia possunt fieri amicitie honestæ gratia, vel secundum consuetudinem patriæ, vt tradit S. Thom. loc. cit. artic. 4. Si autem

tem procedant ex libidine, aut carnali amore, vel ad similes fines referatur, spectant ad peccatum impudicitiae, etiamsi carnalis copula non sequatur, & sunt peccata mortalia, si deliberate fiant. Inter coniuges autem huiusmodi actus, etiamsi fiant libidinosè, nisi accedat periculum pollutionis extra vas debitum, sunt veniales, vt tradit Caietan. in summa verb. Matrimonium.

Secundo, Qui recipit, vel mittit literas, aut dona cum intentione impurae libidinis, vel turpis amoris causa, mortaliter peccat. Syluester verb. Donatio. §. 20. Angelus verb. Interrogationes in confessione circa Sextum praecceptum. Nauar. in Manuali cap. 16. num. 13. Et si confessarius inueniat aliquem duci ex literis, vel munusculis in turpem amorem, obligabit vt dona det pauperibus, & literas comburat; quia huiusmodi memoriam libidinis renouare possunt.

Tertio, Chorea, etsi propter circumstantias adiacentes res sit periculosa, ex sua tamen natura non est illicita, sed signum laetitiae. Sancti autem Patres damnant, propter periculum: Augustin, in Psalm. 31. conclus. 1. & in ferm. 231. de tempore. & Ambros. in libr. de Helia & Ieiunio, capit. 18. licitae autem sunt choreae, quando fiunt debito tempore, cum honestis personis, honesto modo, non simul clerici, vel religiosi cum saecularibus mulieribus, & tandem
quan-

quando sonus, & cantus sunt de honestis rebus. Hæc ex Albert. in 4. dist. 16. colligit Aurea Armilla in verb. Chorea, & alij.

Dubium. An choreas ducere die Dominico, vel festo sit peccatum mortale. Richard. de media Villa in 3. dist. 37. art. 3. quæst. 4. tenet quod sic. Angelus, Sylvester & alij in verb. Chorea. tradunt, peracto diuino officio, nisi fiat ex consuetudine, vel pro maiori parte diei, non esse mortale.

De filiabus luxuriæ.

EX luxuriâ octo nascuntur filix, ex S. Gregorio 31. moral. cap. 31. quas explicat S. Thom. 2. 2. q. 152. art. 5. Cæcitas mentis, Inconsideratio, Præcipitatio, Inconstantia, Amor sui, Odium Dei, Affectus præsentis sæculi, Horror futuri.

Remedia contra Luxuriam.

PRIMUM. Fuga occasionum, I. Corinth. 6. Fugite fornicationem.

Secundum. Abstinencia cibi & potus: Vnde Hieron. libr. 2. aduersus Iouinianum. Esus carniæ, & potus vini, ventrisque saturitas seminarium libidinis est.

Tertium. Fuga otij: otium est incendium libidinis.

Quartum. Iugis occupatio in sacris literis. Hinc Hieron. ad Rusticum. Ama scientiam diu-

diuinarum scripturarum, & carnis vitia non amabis.

Quintum. Custodia sensuum, maximè visus: quod Ecclesiasticus testatur, quando ait. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias mulierem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt.

Sextum. Ex Chrysof. de reparatione lapsi. Gehennæ ignem flammis libidinis opponere: Est enim hoc mirabile medicamēti genus, vt ignis igni extinguatur.

Septimum. Oratio, Sapientiæ 8. Sciui, quod non possum esse continens, nisi Deus det, & hoc erat sapientia scire, cuius esset hoc donū.

Octauum. Ex Gregorio super 25. cap. Iob. Nihil adeo valet ad edomandum carnis luxuriam, quam vt vnusquisque illud quod viuum diligit, mortuum penset.

Nonum. Vestium asperitas, per quam mollietates repellitur.

CAPVT IX.

DE INVIDIA, ET EIVS filiabus.

INVIDIA, est odium alienæ foelicitatis, quo non volumus proximum nostrum nobis esse æqualem, vel superiorem; eo quod hoc nostram excellentiam diminuat. Inuidia

dia

dia ex suo genere est peccatum mortale: Primum autem motus, & actus imperfecti, sunt peccata venialia. Ex inuidia hæc generantur filia. Odium proximi, Sufurratio, Detractatio, Exultatio in aduersis proximi, & Afflictio in prosperis.

Odium proximi est peccatum mortale ex suo genere, 1. Iohan. 3. Qui odit fratrem suum, homicida est. Motus autem imperfecti veniales sunt. Si quis autem odio prosequatur proximum, quo ad peccata & scelera, quæ exercent, non peccat: quia proximum non odio habet sed peccata: Quod etiam Deus facit. Nam scriptum est. Odio est Deo impius, & impietas eius.

Sufurratio, est oblocutio mala de proximo, ad tollendum amicitiam inter aliquos. Differt à detractatione, quia hæc tollit honorem & famam: illa verò amicitiam, & cum amicitia præstantior honore sit, peccatum sufurrationis est grauius detractatione. Quando dicitur, quod sufurro tollat amicitiam, intellige bonam, quia malam & perniciosam soluere, laudabile est. Cum hoc peccatum tendat in damnum proximi, obligat ad restitutionem amicitiam quam abstulit, vel ad satisfactionem modo possibili, & nisi sufurro hoc firmiter proponat, non est absoluendus, iuxta Angel. in verb. Sufurratio, Rosellam in verb. Inuidia, & Nauarr. in Manuali, cap. 18. num. 13. Detractio

*Quomodo
sufurratio
differat à
detractio-
ne.*

est denigratio alienæ famæ per occulta verba. Est peccatum mortale, quando aliquis ex intentione vult famæ proximi nocere, si crimen, de quo infamat, sit mortale. Grâuius autem peccat, qui falsum crimen alteri imponit, quâ qui reuelat verum secretum. Si quis aliquem infamet, iustè infamatum in vno loco, in alio vbi infamatus adhuc non est, sine iusta causa, mortaliter peccat contra charitatem, & non iustitiam: quia talis iustè non amplius possidet famam, vnde non obligatur ad restitutionem. De qua re vide Dominicum à Soto libr. 5. de iustit. & iure. quæst. 10. artic. 2. Neque solum peccatum est detrahere, sed etiam detrahentem audire, si possis resistere, & placeat ex odio proximi, vel mala causa. Vnde Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium, Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnableius sit, non facilè dixerim. Referre alterius peccatû alicui, qui illud scit, aut in cuius cognitionem deueniet, sine malo animo, non est peccatum mortale. Detractio cum lædat proximum contra iustitiam, obligat ad restitutionem.

Infamare autem semetipsum, & sibi imponere falsum crimen metu tormentorum, vel in grauissimis cruciatibus, ad euasiones, non est mortale peccatum, sic tradunt Dominicus à Soto loc. cit. & in lib. de tegendo & detegendo secretum. memb. 1. quæst. 3. Didac. Couarr. lib.

Q

lib.

lib.1. variarum resolut. cap. 2. Nauarr. in Manuali cap. 18. num. 27. & 28. Angel. verb. Detractio, & alij alibi. Non desunt tamen, qui contrarium docuerint.

Exultatio in aduersis ex inuidia oritur, quando res proximi malè succedunt, exultat inuidus, eo quod opinetur gloriam suam ex hoc augeri. Afflictio in prosperis est, quando prospera proximo eueniunt contra conatum inuidientis, qui nititur impedire.

Remedia contra Inuidiam.

PRIMUM. Amor æternorum bonorum, quæ non diminnuntur per hoc, quia à multis possidentur sed augètur, hoc ponit S. Gregor. 5. moral. cap. 35. exponens verba Iob, Paruum occidit inuidia.

Secundum. Ex Basilio in homil. de inuidia: Si nihil rerum humanarum magnum, aut supra naturam existimemus, non enim in rebus fluxis bonū constituimus, sed ad sempiternorum, & verorum bonorum participationem vocati. Itaque nec diues æmulandus est propter diuitias, nec potens ob dignitatis, & magistratus culmen, nec fortis ob corporis fortitudinem, nec eloquens ob dicendi facultatem.

Tertium. Consideratio mali, quod prouenit homini ex inuidia. Sicut erugo ferrum, inquit Augustin. serm. 83. de tempore: Ita inuidia

dia ipsam animam in qua est, interimit, atque consumit.

Quartum. Animaduertere quomodo hominem inuidia in conditionem Diaboli conuertat, Dæmon ex hominum benefactis mœrore afficitur, eorumque malitia lætatur: Sic inuidi consumuntur aliorum fœlicitate, & pascuntur aduersitate: Nam quemadmodum scarabæi, ait D. Chrysoſt. alieno stercore: sic inuidi aduerſa aliorum fortuna nutriuntur, cum sint communes humano generi hostes. *Hom. 4. in Matth.*

Quintum. Attendere quantæ sit infœlicitatis & miſeriæ, quod dum proximus melior redditur, tu deterior fias, dumque augmenta alienæ prosperitatis inſpicias, in te ipſo cruciaris, & dum inſpecta fœlicitas affligit; pœna tua te nequiores reddit.

CAPVT X.

DE GULA.

GULA, est cibi, potuſque inordinatus appetitus. Est peccatum mortale, si quis gula motus deliberatè aliquod præceptum diuinum transgrediatur; vel ponat in ea vltimū finem; vel ordinet in finem mortaliter malum: vel ſcienter dirigat in graue damnum animæ, vel corporis. Quinq; ſunt ſpecies Gulæ ex Greg. lib. 30. moral. cap. 27. quæ explicantur à S. Thom. 2. 2. q. 148. artic. 4.

Q 2

1. Quando

- Species gulae ex S. Gregorio.*
1. Quando hora debita præuenitur, non necessitate, sed voluptate.
 2. Quando lautiores cibos quærit homo.
 3. Dum nimis accuratè cibi præparantur, diuersis coquendi modis.
 4. Cum homo in quantitate cibi, aut potus excedit, & sumit plus, quàm naturæ sustentationi necessarium est.
 5. Quando homo nimis auidè, vel ardentè cibum sumit. Hæ quinque species memoriæ causa versu continentur.

Præproperè, lautè, nimis, ardentè, Studiosè.

De Ebrietate.

EBRIETAS, quæ ad gulam spectat, dupliciter accipitur. Vno modo vt significat ipsum defectum rationis, qui accidit ex abundantia vini, & sic significat non culpam, sed effectum pœnalem consequentem ex culpa; Alio modo ebrietas denotat actum inordinatum, quo quis in hunc defectum inordinatum incidit.

Ebrietas voluntaria, peccatum mortale est, quia in sacris literis adiungitur illis, quæ à regno Dei excludunt. Vt autem hoc plenius intelligatur; notandum ex S. Thom. 2. 2. q. 148. art. 2. quod culpa ebrietatis consistit in inordinato vsu, & concupiscentia vini. Hoc autem tripliciter contingit. *Primo, si quis nesciat potum*

tum esse immoderatum, & in ebrietate potenter, & sic potest esse nullum peccatum: vt si quis calore æstuans ignoret vini potentiam, non aduertendo inebrietur. *Secundo*, quando quis percipit potum esse immoderatum, non tamen æstimat, quod cum debeat inebriare, & sic potest esse venialis ebrietas. *Tertio*, vt aduertat potum esse immoderatum, & facere ebriũ, non vult tamen abstinere à vino: & sic est peccatum mortale. Huius peccati etiam fit participes, qui alterum studiosè & scienter inebriat, vel cogit ad bibendum quacunque ex causa. Si quis autem alium inuitet ad bibendum, & nõ putat, quod debeat inebriari ex ignorantia: quia ipsius consuetudinem nõ nouit, nõ peccat mortaliter, vt docet S. Thom. in quæst. d. art. 1. ad 3. De ebrietate vide August. serm. 232. & Ambros. de Helia & ieiunio. cap. 14.

Filiæ gulæ, quas explicat S. Thom. quæst. d. artic. 6. sunt quinque. Hebetudo mentis, Inepta lætitia, Scurrilitas, Multiloquium, & Immunditia. Hebetudo est, quando mentis acies hebetatur, ex immoderato cibo & potu, propter fumositates ciborum caput perturbantes, & est mortalis, quãdo homo ex ea aliquid omittit, quod est de necessitate salutis. Inepta lætitia est, quando confopito gubernaculo rationis, per immoderatum vsum cibi & potus, multæ deordinationis passiones in appetitu sequuntur, & specialiter vana quædam lætitia, ac animi dissolutio. Q 3 Mul-

Multiloquium, est multitudo locutionis cum superfluitate, præter vtilitatem, & necessitatem, & est communiter veniale.

Scurrilitas, est quædam leuitas, vel iocularitas proueniens ex defectu rationis, quæ sicut nec potest cohibere verba: ita neq; exteriores actus.

Immunditia attenditur, secundum inordinatam emissionem quarumcunq; superfluitatum, vel per fluxum feminis, aut per vomitum.

Remedia contra Gulam.

P R I M U M. Est verbum Dei. De quo Matth. 4. Nō in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.

Secundum. Considerate singularem Christi abstinentiam, & paupertatem. Quomodo cum tuam salutem sitiret, dixerit, Sitio, & deinde acetum cum felle mixtum administratū est: Hinc Trenor. 3. Recordare paupertatis meæ, & transgressionis, & absynthij, & fellis.

Tertium. Perpendere mala, quæ proueniunt ex delicijs, & ebrietate. Rarò qui his inserviunt, ad portum salutis perueniunt, vt S. Chrysoft. in sermone contra luxum, & crapulam ostendit. Vitam etiam gula breuior ē reddit. Verissimè enim dictum est. Plures occidit gula, quàm gladius.

Quartum. Æternæ cœnæ meditatio, attendere

dere quā delicata sit futura illa cœna: Si enim eius desiderium solum hominem beatum facit iuxta illud Matth. 5. Beati qui esuriunt, &c. quid faciet ipsa refectio? Quam igitur indignum est homine, quod se impleat siliquis porcorum, & de delicata illa cœlesti cœna non cogitet.

Quintum. Optimum secundum Apostolicam doctrinam, gratia stabilire cor, & non elcis, quæ nō profuerunt ambulatibus in eis.

CAPVT XI.

DE IRA.

IRA, est appetitus inordinatus vindictæ, siue puniendi eum, à quo quis se læsum arbitratur. Dicitur (inordinatus) quia ira cum sit passio appetitus sensitiui, potest esse bona & mala: Bona, si regulariter secundum ordinem rationis, & sic in Psalm. Irascimini & nolite peccare: Mala, quando mensuram rationis transit.

Ira ex parte appetibilis, quando aliquis appetit iniustam vindictam, ex suo genere est peccatum mortale; quia est contra charitatem, & iustitiam, potest tamen esse veniale ex imperfectione actus: vel ex parte appetentis, cum ira præuenit vsum rationis: vel ex

Q 4 ... parte

parte appetibilis, cum quis in modico vult se vindicare. Quantum autem ad modum irascendi, potest etiam esse excessus, vt si quis immoderatè iræ motu feruescat. Ita tamen quantum ad modum, est venialis, nisi aliquis ex vehemètia iræ excidat à charitate Dei, vel proximi. De iræ peccato lege S. Thom. 2. 2. q. 158.

De filiabus iræ.

EX ira hæc filia generantur. Rixa, Tumor mentis, Contumelia, Clamor, Indignatio, & Blasphemia, de quibus S. Thom. quæst. d. artic. 6. & 7.

De Rixa.

RIXA, est contradictio in factis, quando aliqui ex ira se inuicem percutiunt auctoritate priuata, & est peccatum mortale in inuadente; quia contra charitatem proximo nocumentum infert, & sic ad Galath. 5. adiungitur peccatis, quæ à regno Dei excludunt. In defendente autem quandoq; potest esse nullum, si se defendit animo repellendi illatam iniuriam, cum debito moderamine: Quandoque veniale, quando leuis est excessus: Quandoque mortale, si obfirmato animo insurgit aduersus impugnantem, vt inferat ei grauem læsionem, & notabile nocumentum. Pueri communiter quando rixantur, non peccant nisi venialiter: quia leuiter faciunt, & ex paruò odio.

De

De Tumore mentis.

TUMOR mentis est, quando irascens, animus suū replet diuersis cogitationibus amaris, quibus apud se aliquando cogitat diuersas vias se vindicandi, & habet multiplex propositum id perficiendi, est peccatum tanto grauius: quanto ex maiore ira procedit.

De Contumelia.

CONTUMELIA est, cum quis prorumpit in verba iniuriosa contra proximum. *S. Thom. 2.2.q.27. artic. 1.*
 Ad contumeliam, conuitium, & impropriū referuntur. Ista enim tria sunt contraria honori proximi, sed aliquo modo distinguuntur. *Contumelia, conuitium, & improprium, quomodo differant.*
 Contumelia est, quando repræsentatur defectus culpæ, per verba iniuriosa contra honorem, vt cum aliquis dicit. Tu es fur, aut latro.
 Conuitium, quando significatur defectus culpæ, vel pænæ generaliter: vel defectus naturalis, vt si aliquis in contemptum vocat alium cæcum, aut stupidum, &c. Improprium, est significatio beneficij tempore necessitatis collati. Vel, quando reducitur in memoriam iniuriosè, auxilium in necessitate collatū, exempli gratia dicendo. Nisi auxilio tibi fuisset, fame periisses. Si quis notabiliter intendat lædere alicuius honorem contumelia, conuitio, vel improprio, quæ aliquando pro eodem accipiuntur, peccat mortaliter. *Matth. 5. Qui dixerit, Fatue, fratri suo, reus erit gehennæ ignis.*

Q 5

ignis.

ignis. Dicitur (si quis intendat lædere) quia in peccatis verborum maximè consideratur, ex qua intentione, & affectu proferantur. Vnde quando quis iocosè: vel ex ira leui, aut animi leuitate, absque animo inhonorandi aliquid obijcit, est solum veniale. Superior autè absque peccato aliquando, causa correctionis, disciplinæ, instantiæ, vel humiliationis, aut alia ratione potest obijcere aliquod verbum contumeliosum ei, quem obiurgat. Hoc modo Christus discipulos, stultos vocauit, & Paulus Galathas insensatos.

*Luca vi.
ad Gal. 3.*

Ad contumeliam etiam referri potest maledictio, quæ ex ira nasci solet, non loquor hic de maledictione Dei. Maledicere est imprecari alicui mala.

*Duobus
modis ma-
ledictio ex-
orçetur.*

Potest esse duplex maledictio. Bona, & Mala. Committitur communiter duobus modis Imprecando, & Optando.

Si quis imprecatur proximo malum sub ratione boni non peccat, exempli gratia, imprecor alicui persecutori Ecclesiæ mortem: Vel iuueni luxurioso & perdito infirmitatem, vt ad mentem redeat. Sic. 4. Reg. 2. Helisæus pueris sibi illudentibus maledixit. Qui autem maledicit imprecando malum, vel per modum imprecantis, vel optantis, scienter & deliberato animo, sub ratione mali, mortaliter peccat, nisi paruitas rei excuset, 1. Corinth. 6. Maledici regnum Dei non possidebunt.

bunt. Si quis autem maledicat creaturam irrationali in ordine ad mala hominis, quæ inde proueniunt, non peccat. Sic Iob maledixit diei natiuitatis suæ, propter mala originalis culpæ. Sic quoque Dauid. 2. Reg. 1. maledixit montibus Gelboë, propter eadem populi, quæ in eis contigerat. Quando autem quis animo deliberato maledicit creaturam, dicendo, trado te diabolo, &c. Qua ratione est creatura Dei, committit blasphemiam: Si in ordine ad hominem, cuius est creatura, idem est iudicium, ac si malediceret homini: Si autem creaturam secundum se, non habita ratione ad Deum, aut hominem, solum committit veniale verbum otiosum, iuxta S. Thom. 2. 2. quæst. 76. art. 2. & Caietan. in summa verb. maledictio. Ex qua radice confurgit, quod Confessarius debet confitentem circa maledictionem examinare, quomodo, & quo animo maledixerit, quia diuersa ratio peccati, ex diuersa intentione oritur in hac re, vt constat ex dictis.

De Indignatione.

INDIGNATIO est, quando homo non vult videre eum, cui irascitur: nec cum eo loqui aut conuersari, quia eum indignum iudicat, sua conuersatione, & affabilitate; & communiter est peccatum veniale, nisi scandalum accedat, vel casus in quo teneatur ei loqui. Potest autem in superiore erga inferiorem, esse

esse sine peccato, quando iusta causa facit, ut magis doleat de casu, & discat in futurum cautius mercari.

De Clamore.

CLAMOR, est inordinata, & confusa locutio, quando homo quo ad modum loquendi, exterius iram suam demonstrat; & est veniale peccatum, nisi sequatur scandalum, quando illud prouidet, aut prouidere debet, & non curat, iuxta Angelum verb. Clamor.

De Blasphemia.

*S. Thom.
2.2.q.13.
artis.1.*

BLASPHEMARE, est dicere aliquid tacite, vel verbo contra Deum, aut eius sanctos: & potest tripliciter fieri. Tribuendo Deo, quod ei non conuenit: vel auferendo ei, quod conuenit: vel tribuendo creaturæ, quod solius Dei proprium est, exempli gratia. Malè habet Deus, non est iustus, homo potest futura prädicere, solo libero arbitrio adiutus.

*Blasphemia corde,
verbo, &
scripto con-
tingit.*

Blasphemia potest contingere corde, & est mentalis; verbo, & est vocalis: scripto, & est scripta.

Est peccatum mortale & omnium grauissimum: quia repugnat confessioni fidei, charitati, & bonitati diuinæ: nec excusatur quis ab hoc peccato ex leuitate materiæ: quia eius materia grauissima. Vnde nullus compos mentis excusatur, aut per passionem, aut consuetudinem:

nem: Si quis autē inaduertēter ex lapsu linguæ verba blasphemix proferret, nō aduertendo sensum verborum, quem si aduertisset non protulisset, excusaretur à mortali, secundum S. Thom. quæst. cit.

Qui blasphemat in sanctos, nominando eorum membra pudēda iniuriosè, vel eis maledicendo, mortaliter delinquit. Quia hoc peccatum grauissimum est, statuit Concilium Lateranen. sessio. 9. sub Leone X. vt nullus blasphemus absoluator in foro conscientix absque eo, quod arbitrio seueri Confessarij ipsi pœnitentia imponatur.

De remedijs Iræ.

PRIMUM. Consideratio Dominicæ passionis: Si enim passio Domini ad memoriam reuocetur, nihil adedò durum, ait Gregorius, quod non æquo animo toleretur.

Secundum. Ex Basilio in homil. de Ira: Ille maledixit, tu benedicas: verberauit, tu patere: expuit nihilique te existimauit, tu cogita, quomodo ex terra es, & in terram reuerteris; His namque modis & rationibus te confirmans, longè leuiora, quam reuera, &c.

Tertium. Comprimere irā interius, ne exeat. Sicut enim ignis, si non habeat motum, statim exinguitur & suffocatur: Sic ira, si silentio cōtineatur statim cessat: Sic Abbas Isaac in vitis patrum à quodam fratre interrogatus. **Quare eum**

eum Dæmon timeret. Respondit, ex quo factus sum monachus, statui apud me, vt iracundia extra guttur meum nunquam procederet, & ideò timent me Dæmones.

Quartum. Consideratio finis nostri, mortis scilicet, & eorum, quæ post mortem sequuntur. Vnde Eccles. 28. Memento nouissimorum, & desine inimicari: & deinde subditur, Memento timorem Domini, & ne irascaris proximo.

Quintum. Iratus te ipsum ad alia conuerte negotia, quibus occupatum cor tuum, quietat à perturbatione, & eiusdem obliuiscatur, & sedata tempestate, cogita quid feceris: quantum mali fortassè proximo, & tibi ipsi intuleris, perdendo amicitiam Dei, & charitatem proximi, & incurrendo laqueos Diaboli.

GAPVT XII.

DE ACEDIA, ET EIVS filiabus.

ACEDIA, est quædam tristitia, vel tardium aggrauans mentem hominis, vt nihil ei agere libeat earum rerum, quæ salutem propriam concernunt. Acedia, quando est perfecta, est peccatum mortale, quia charitati aduersatur, cuius proprius effectus est

est gaudium de Deo, eiusque bonis. Acedia autem imperfecta, inchoata in sensualitate præter rationis consensum, veniale peccatum est.

Peccat mortaliter acedia, qui ea motus, *Quomodo* omittit necessaria ad salutem animæ, aut corporis, vel deducitur in aliquod mortale, vt de *acedia sic* *mortalis.* sperationem: vel deliberatè appetit mortem ex tali tristitia, vel optat esse bestia.

Ex acedia hæc generantur filiæ. Malitia, *Filiæ ace-* Rancor, Pusillanimitas, Desperatio, Torpor, *dia* & Euagatio mentis.

Malitia est, quando quis propter tristitiam, quam habet in diuinis, in tantum malus efficitur, vt modica, vel nulla existimet spiritualia; vel etiam impugnet.

Rancor mentis, est amaritudo contra eos, qui hominem ad spiritualia inducere volunt, & propterea desiderat, & vult malum alteri: Aliquando etiam refertur ad filias iræ.

Pusillanimitas opponitur magnanimitati, & est quando homo ex paruitate animi, se retrahit à magnis operibus, & honoribus suam potentiam non excedentibus.

Desperatio est, quando homo non sperat beatitudinem ex gratia Dei, & suis operibus, & est peccatum mortale grauissimum, quia obstruit fontem diuinæ misericordiæ, & opponitur spei.

Torpor est circa præcepta, quando homo facit

facit bona tepidè, non cum eo feruore, quo deberet. Ad torporem referuntur otium, pigritia, somnolentia, &c. Euagatio mentis circa illicita, quando homo à spiritualibus se transfert ad delectabilia exteriora: & eius malitia iudicanda est, secundum illicita, circa qua versatur, cuius rei iudicium sumendum ex dictis, de cogitationibus. His dictis, adhuc alii peccandi modi adiungi possunt. Mollicies, quando homo nihil duri, quod carni aduersetur pati potest. Negligentia, Imperseuerantia, Remissio animi, Dissolutio, Incuria, Indemotio, Instabilitas. Hi peccandi modi sicuti etiam plerèque filia acediae veniales sunt, nisi ex eis omittantur, quæ sunt de necessitate præcepti, vel salutis.

Remedia contra Acediam.

*Serm. 3. de
ascen. Do-
mini.*

PRIMUM. Consuetudo benè operandi hæc facilitatem inducit, & iucunditatem parit. Reuera, ait S. Bernardus cum inceperis, tristitia implebit cor tuum, sed si perseueraueris, tristitia tua conuertetur in gaudium: tunc enim purgabitur affectus, & voluntas renouabitur, vel potius noua creabitur, vt omnia quæ primo videntur difficilia, imò impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine, & auiditate.

Secundum. Attendere hoc tempus esse nobis concessum, vt operemur bonum, & cogitandum.

tandum, quod ita reddenda ratio de tempore, sicut de verbo otioso. Hinc de quodam deuoto legitur, qui quoties audiebat horologium sonare secum dicebat. O Domine Deus, iam iterum vnam horam temporis vitæ meæ consumpsi, de qua tibi sum redditurus rationem, quomodo expenderim. Nullum enim à te est mihi impensum tempus, cuius mihi non sit reddenda ratio.

Tertium. Varietas operum, ne homo molestia capiatur, varietas enim delectat, iuxta illud.

Nunc lege, nunc ora, nunc cum seruore labora.

Sic erit hora breuis: sic labor ipse leuis.

EXEMPLVM habemus in S. Antonio, qui spiritu acedix tentatus dicebat: Domine saluari desidero, sed variæ cogitationes non permittunt. Quid faciam, vt saluer? ostende; & respiciens vidit quendam astantem, torquentem funiculum: deinde ex opere surgentem, & plectas facientem de palmis; & deinde ad orationem iterum surgentem. Erat autem Angelus Dei, & dixit ei. Ita faciens, Antoni, saluaberis.

Quartum. Considerate, quis locus paratus fit otioso; non cælum, quia merces est operariorum, non paradisus terrestris, quia Deus posuit hominem in paradisum, vt operaretur iuxta scripturam: Non purgatorium, quia

R. qui

LUC. 13.

qui in labore hominum non sunt, cum hominibus non flagellabuntur: Non mundus iste, quia ficulnea sterilis succidetur, ne terram occupet; relinquatur ergo infernus pro otioso.

Quintum. Exemplum Christi Saluatoris, cuius vestigia sequi debemus. Vnde S. Bernardus: Quam diu vixero, memor ero laborum, quos Christus sustinuit prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum, conuictorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobarum, clauorum, horumq; similibus; alioquin requiretur à me sanguis iustus, qui effusus est super terram.

Sextum. Frequens occupatio, quæ est clipeus contra Dæmonis sagittas. Semper aliquid boni agendum, ne Diabolus inueniat otiosum; Hinc in vitis patrum. Seniores dicebant. Operantem monachum Dæmone vno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus deuastari.

De materia vitiorum Capitalium, amplam qui voluerit legere materiam, legat S. Thom. in 2. 2. sanctum Antoninum in sua summa.

Guilhelmum Peroaldum Lugdunensem de virtutibus & vitijs Tom. 2. &

Methodum confessionis.

TER.